ARNOBII

DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES LIBRI SEPTEM.

M. Minucij Felicis Octauius.

Editio noua, ad editionem Romanam expreſſa; quibuſdam tamen in locis e ms. Reg. aucta & emendata.

DESIDERII HERALDI AD ARNOBII LIBROS VII. Animaduerſiones, & Caſtigationes.

auctoris damnati.

cum expurgat.e permisse

PARISIIS,

Apud MARCVM ORRY, via Iacobæa ad inſigne Leonis ſalientis.

M. DCV.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

AMPLISSIMO VIRO D. LVDOVICO SERVINO Sacri Conſiſtorij Conſiliario, & in ſupremo Senatu Pariſienſi ADVOCATO REGIO,

DESIDERIVS HERALDVS S. D.

MIRATVS ſum ſæpius, Vir Ampliſsime, qui factum fuerit, vt cùm erudito hoc ſeculo tot tantaque ingenia in humanioribus literis, quas præcedentium ſeculorum barbaries oppreſſerat, inſtaurandis & reſtituendis ſudauerint,

ARNOBII
DISPVTATIONVM ADVERSVS GENTES
LIBER PRIMVS.

QVONIAM comperi nonnullos, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, inſanire, bacchari, & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periiſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum; ipſos etiam cœlites derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos: ſtatui pro captu ac mediocritate ſermonis contraire inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes: ne aut illi ſibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere; aut, ſi nos talibus continuerimus ab litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam.

M. MINVCII FELICIS OCTAVIVS.

COGITANTI mihi, & cum animo meo Octauij boni & fideliſſimi contubernalis memoriam recenſenti, tanta dulcedo & affectio hominis inhæſit, vt ipſe quodammodo mihi viderer in præterita redire, non ea quæ iam tranſacta & decurſa ſunt recordatione reuocare. Ita eius contemplatio; quantum ſubtracta eſt oculis, tantum pectori meo, ac pæne intimis ſenſibus implicata eſt. Nec immerito diſcedens vir eximius & ſanctus, immenſum ſui deſiderium nobis reliquit: vtpote cum & ipſe tanto noſtri ſemper amore flagrauerit, vt & in ludicris & ſerijs, pari mecum voluntate concineret: eadem vellet, vel nollet: crederes vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam. Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: & cum diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emergerem, non reſpuit comitem, ſed quod eſt glorioſius præcu-

DESIDERII HERALDI AD ARNOBII LIBRVM PRIMVM

Animaduerſiones, & caſtigationes.

SVMMA LIBRI.

EXISTIMABANT nationes mala omnia, quæcunque accidebãt, Chriſtianorum odio a Dijs immitti, & hoc nomine exterminandos illos, & mortalium ceterorum cœtu ſubmouendos. Orditur ab opinione illa Arnobius; & vaniſſimam illam querelam ſtatim initio huius operis oppugnat: Hinc datur ad ſequentem diſputationem tranſitus. Confutat igitur primum, quod illi pro certiſſimo identidem inculcabant, moles illas malorum quibus mortalitas premebatur, mun-